LECTORI BENEVOLO
S.

QVae me induxerint rationes, vt elementa haec philoſophiae practicae in lucem proferrem, in praefatione priori editioni praemiſſa expoſui. Sed reliqua etiam, quae de hoc meo inſtituto aliis ſignificanda exiſtimaui, ibidem retuli. Nonnulla tamen fateor in hac immutaui, meamque in quibusdam correxi ſententiam, quod illis, quibus veritate nihil prius eſt, nihilque antiquius, vitio verti non poteſt. Aſt pauca ea ſunt, nec omnia adeo magni momenti, multo minus hic indicanda, cum ſi quis operae pretium duxerit, huncce libellum perluſtrare, ſi quidem quae antea docui illi perſpecta fue-